

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Nikolaus Ellerholz

Dissertatio inauguralis medica Delirii chronicus universalis et continui diagnosins sistens

Rostochii: Literis Adlerianis, 1816

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1007477865>

Druck Freier  Zugang



OCR-Volltext

Ellerholz, Johannes Nicolai

R. M. med. 1816

I

A

52

H

Dissertatio inauguralis medica

45
Delirii chronici universalis
et continui diagnosin

s i s t e n s .

Quam

Auctoritate et consensu

Illustris medicorum Ordinis

in Academia Rostochiensi

pro

summis in utraque medicina honoribus

rite capescendis

publico eruditorum examini

submittit

Joannes Nicolaus Ellerholz

Rugiensis

Chirurgiae Magister, Regii Collegii medici Holmiensis
membrum.

F. W. Böhl

Rostochii 1816.

Literis Adlerianis.

Datum: 17. Februar 1811

Gelehrtene Gesellschaft

Leipzig

Dr. Willib. Kell.



V i r o

Celeberrimo Expertissimo

Jacobo Godofredo Benedix

Medicinae et Chirurgiae Doctori

Regii Collegii Sanitatis Gryphici Assesori

in Insula Rugia Physico meritissimo

hancce dissertationem

sacram voluit debuit

Auctor.

447

Geoponika Epistles

Lectio Geoponicae MSS.

Methionis de Cypriana

De Cypriana

Onisimis huius epistles methionis

Onisimis huius epistles methionis

Onisimis huius epistles methionis

Onisimis

(I)

rid
ea
ch

De
delirio chronicō universalī et continuo.

§. 1.

D e l i r i u m.

Delirium est falsa quaedam et errabunda iudicandi vis, vigilando, a mutatione organorum mentis praeternaturali, insolitis affectibus aut vehementioribus, quam pro objecto eos excitante. Tale autem delirium aut motibus febrilibus est conjunctum (*delirium febrile, paraphrosyne*), aut prorsus sine tali est conjunctione (*delirium chronicum, primarium apyretum*).

§. 2.

Delirium chronicum.

(*Insania longa, Insania sensu strictiori; Chronischer Wahnsinn.*)

Triplicem mihi fingo delirii chronicī varietatem, et quodque delirium in una alterave earum repertum iri existim: nempe melanocholiā, maniam, et insaniam continuam.

1. *Melancholia.* Delirium chronicum particulare, modo fixum, modo periodicum, *cum moerore et tristitia.*
2. *Mania.* Delirium chronicum, universale, sed intermittens, *cum furore et audacia.*
3. *Insania continua.* Delirium apyretum circa quaevis objecta, *sine lucidis intervallis*, hinc continuum, tum furens et et iracundum, tum moestum ac meditabundum.

§. 5.

Insania continua universalis.

Propria huic morbo, ab auctoribus hucusque nunquam clare descripto, est conturbatio mentis continua, universalis, sine ullis lucidis intervallis; nec jam sua potestate est mens, talisque virium ingenii *adest* trepidatio, quae efficientiam quidem non impedit, ita tamen omnia commutat, ut perversi prorsus effectus a viribus mentis producantur. Vis ipsa ratiocinandi est amissa, vis judicandi dissona facta et turbata, ita animus comparatus, ut reruni proportiones et relationes haud cernat

amplius. Unde conceptus animi exoriantur falsi, idearum associationes ineptae ac absurdæ, et omnia ista stolidæ facta et dicta in delirantibus. Quorum quum animus alienis tantum impressionibus et involuntaria idearum connexione sit occupatus, necessario ideas componere stupendas, et parum cohaerenti modo cogitare, nec non false judicare, est coactus. Nihil clarius, hisce in aegrotis animum ipsum adfectum, et in ordine actionum turbatum esse et plane cohibitum, demonstrat, quam illa sui ipsius impotentia. Illud quoddam, quo nos ipsos et nostram essentiam nosse, et tam a notionibus, quam ab objectis distinguere possumus, omnino apud illos extinctum et amissum videtur. Nullam plane existentiae suae habent ideam, ideoque animus eorum quasi vivere desiisse putandus est.

§. 4.
Prodromi morbi.

Non semper, sed aliquando tamen morbus ille unum aliunve prodromum magis minusve sensibilem habet, qui tamen non semper permittit, ut aegrotus, quid futurum

sit, aliquatenus perspiciat. Priusquam delirium vere inhaeret, aegroti sine somno esse solent, aut somnus est inordinatus, gravibus somniis turbatus; tristes subinde et immoderatos ostendunt affectus. Saepe objecto quodam aut affectu abstrahuntur in altam meditationem, tranquilli sunt, stant meditantes, falsis notionibus in stupore expergefacti abeunt conturbati. Plerumque superbi sunt et iracundi, caput, facies et oculi ardentes sunt, palpebrae semper moventur, oculi ipsi errabundi circumvolant, aut in unum defixi sunt locum; dolores adsunt capitisi. Porro risus sine justa causa, fremitus in auribus prodromi sunt morbi, quo denique sensibus privantur omnibus, et sine ratione pecori saevo flunt pares. Qui sicut non omnes sunt prodromi morbi, nec eodem, quo hic narrantur, consequuntur ordine, sic etiam non semper possunt videri. Saepenumero morbus tam subito erumpit, ut nulli observari possint prodromi, saepe et alia deliria, in primis melancholia hypochondriaca, longo tempore antecedunt. Prorsus omnino erraret, qui nonnullis ex signis hic memoratis conturbationem mentis semper esse conse-

eturam concludere vellet, quum tumultum quidem et statum mentis concitatum ostendant, sed et ante alios praecedere possint morbos.

§. 5.

Symptoma morbi.

Morbo vero erupto, plerumque symptoma quaedam sunt permanentia et continua, tam in insania universalis tranquilla, quam in furibunda. Huc pertinent:

a) *Status mentis suae ipsius conditionis plane ignari;* adeo, ut aegrotus tam parum de se, de existentia sua, de actionibus suis sciat, quam de conditione sua tristi ullam notionem habeat rationalem. Quare relationes ad se ipsum et ad alios parum novit, nec magis conditionem antecedentem, nec amicos, nec familiares cognoscit amplius. Si memoria autem in nonnullis aegrotis non prorsus jam est amissa, tamen adeo debilitata est et errabunda, ut res observatas ita mutatas tantum in animum reducat, ut omnia ejus, quae antea erant vestigia, sint exstincta. Omnino hoc in morbo memoria debilitari videtur, ut, delirio prorsus amissio, tamen oblivio omnium

rerum antea compertarum summa sequitur plerumque. Exempla exstant insania universalis laborantium, qui ad sanam mentem reversi, rursus discere et studere initiis disciplinarum sint coacti, quia ex veteribus ideis plane nullam retinuerant.

§. 6.

b) *Error universalis in vi judicandi, et in omnibus ingenii viribus.*

Qui quidem tam late extenditur, ut mens non sit idonea ad rerum relationes perspicendas; unde sexcenties notiones fictae tantum animo observantur, mundus e notionibus errabundis compositus, singularis notionum conexus et innaturalis. Objecta externa vix norunt, nec in ea attendunt, aut falsas de iis concipiunt, si modo eas intuentur, notiones. Sic e. g. lapides murarios, strues lignorum, palos aut stramentum, reges esse aut principes, magnos imperatores, aut arma corum, aut alia putant; aut objecta externa cum aliis imaginibus jungere student, quae, etsi eas existere credunt, in cerebro tantum aegroto existunt; sic e. g. credunt, medico ad se venienti sagittas esse in oculis, spiritum eum esse ma-

lignum, daemonem ipsis infestum: varia omnino est opinionum errabundarum et imaginum multitudo, quae sine nexu et ordine illos occupat.

§. 7.

c) *Properatio quaedam et levitas animi.*

Animi properatio et levitas hujus morbi atrocis signum est prae aliis characteristicum. Ideae invicem se expellunt, permutant, error errorem pulsat. Sic rident, cantant, plorant, sibilant, lamentantur, orant, clamant, furunt, minantur, jurant in paucis deinceps momentis. Mox furibundi exsiliunt, sibi et aliis damna student inferre, mox tristes in se rursus conversi sunt. Alio tempore sermonem insaniam plenum continuant, convitiantur, et eodem momento rident, tum sine causa interveniente plorant. Aliquando hostium exacerbatorum exercitum ad se venire credunt, abundunt se, inquieti rursus discurrunt, verbo, infinita est rerum imaginationi illorum objectorum vicissitudo in quibusque aegrotis diversa. In responsis suis, semper perversis, interdum sunt acuti, haud raro facultatem quandam poëticam ostendunt, loca scriptorum

longiora memoria tenent et in pluribus linguis declamare possunt et perorare. Haud minus est mirabile, homines gravissimis impedimentis in lingua constrictos in paroxismis delirii bene et facile loqui *).

§. 8.

d) Pervigilium incredibile.

Somnus hisce in aegrotis res videtur parum necessaria; per aliquantum certe temporis, plures dies noctesque vigilare possunt, quin Perillustr. *van Swieten* exemplum proponit cuiusdam delirantis, qui per plures hebdomades interdiu noctuque sine ullo somno fuerit **). Mirandum est certe corpus a clamore continuo, quo omnem circumregionem compleat, a furore violento et aliis musculorum motibus non ita facile fatigari, et tam diu in tali statu posse remanere. Putet aliquis omnium nervorum et universi systematis

*) *W. Pargeter Observat. on Maniac. Disordr. London 1792. 8. Quis d. Engl. Leipz. 1793. 8. p. 34.*

**) *Commentar. in H.B. aphorism. T. III. §. 1120. p. 521.*

muscularum intentionem hancce terribilem, statum flaccitudinis adducturam, corpus et animum fatigaturam, somnumque ducturam esse: tamen longum adhuc tempus post tales intentiones virium pervigilant *). Ex quo quidem concludi potest, quam violens et vehementis irritatio debeat fuisse et efficax in sensorium commune. Somnus omnino nunquam nisi post aliquod temporis post paroxysmum furoris intervallum, quando remissio jam est facta, accedit. Tum ex violentia intentionis et corporis et mentis plerumque est profundus et longe durat cum alterna respira-

*) Delirantem aliquando vidi per duos deinceps dies continuo furentem interdum funes fortissimos, quibus ligatus erat, ut tenuissima fila rumpentem et post injectas illi catenas vel violentius furentem. Post duos ita peractos dies totidemque noctes et tota circum regione clamoribus sollicitata, furor consedit paullisper et quanquam ita flaccida corpus et mens erant redditia, duodevinti paene horas sine somno, sine esu, in torpore quodam fuit continuo, donec denique natura suum posceret tributum et altissime ille obdormisceret.

tione; aliquando et inquietus est, interruptus et parum longe durat, anxius, brevi respiratione. — Vigilationis hujus diuturnitatem ex violento et continuo in corpus effectu irritationis oriri, putandum est, quo semper in activitate et intentionis gravitate tenetur.

§. 9.

e) *Tolerantia inediae.*

Famem et sitin fortiter tolerant. Cel. v. *Swieten* exemplum narrat insani cuiusdam, qui per octo nonnunquam dies nihil plane ederet *); quid? sunt homines furiosi, qui vel diutius nihil ederint, aut biberint. Cum autem tam longum tempus prorsus sine cibo sumto vixerunt, tum omnia, quae illis dantur, et si licet, vel sua ipsorum excrementa avide devorant, etsi optimi cujusque cibi copia illis sit apposita, ita, ut majori vehementia furere incipient, si aliquis eos continere studeat. Quando autem hicce faecium suarum adest appetitus, omnes alios cibos ita abhorrcere solent, ut vi saepe ad eos accipiendos sint at-

*) l. c. §. 1120.

trahendi. Interdum autem fame terribili et devorandi omnia cupiditate ipse morbus est junctus; cibos datos avidissime devorant, sed saepe potionem rursus exspuunt, et in circumstantes, ni cayent, spargunt *).

§. 10.

f) *Omnis fere excretiones in hoc morbo pariter cessant.*

Quanto magis hic morbus in spiso quodam atrabilario in sanguine accumulato habet caussam, tanto magis omnes impeditae sunt excretiones aut certe imminutae. Corpus siccum et aridum esse solet, et rarissime aegroti sunt pinguiores paullulum; quum enim tamdiu nihil neque biberint, neque ederint, nulli in sanguinem possunt conferri humores, unde etiam urina fit parcissima. Cibi difficilius per sicciora aguntur intestina, vasa absorbentia omnem humorum desugunt, quare paucae tantum faeces in crassioribus intestinis cumulantur et exportantur, hinc alyus dura, strictissima, rara. Saepe excretio alvi adeo est in-

*) Cujus plurima exempla adfert *Broen* animadvers. medic. in *Regii* prax. med. Lib. I. §. 15.

terrupta, ut quatuor, quinque, decem, quin
quatuordecim hebdomades sine alvo soluta
exigere possint. Simul abdomen graviter ex-
tenditur, nec tamen edendi cupiditas amitti-
tur, sed semper est eadem. Plerumque hoc
in casu colon et intestinum rectum maxime
erant expansa *). Nonnunquam excrementa
sine sensu amittuntur, quod furore diutius du-
rante potissimum fieri solet.

§. 11.

g) *Sumnum tolerant frigus, nec eo laeduntur.*

Incredibile est, quanta sensus inopia sint
praediti adversus frigus atrocissimum. Sunt,
qui durissima hyeme in maximo frigore in lo-
cis apertis et lapidibus tantum stratis, sine
vestibus, prorsus nudi, plures hebdomades
degerint **). Qua quidem ipsa causa balnea
tolerant frigida, quanquam signa perquam
clara edunt, haec non nimis grata ipsis esse ***).

*) Boneti Sepulchretum s. anat. pr. &c. Genev.
1700. T.I. Obs. 1. additam. p. 245.

**) Cf. van Swieten I. c. T. III. §. 1120. p. 521.
Broen I. c. Lib. I. §. 15.

***) Dufour's Versuch über die Verrichtungen und

Qui quidem magnus ad aëris temperaturam torpor in iis etiam animadvertisit subjectis, qui alias debiliores sunt et antea vitam cul- tumque molliorem habuerunt.

Eandem sensus inopiam ad verbena vigiliū haud raro ostendunt, quare medicina plaga- gosa, etiam si adeat indicatio, in his quam plurimum est sine effectu. *Lorry* hanc sensus inopiam ex cute, humoribus melancholi- cīs et atrabiliaribus spissata, derivare studet*); quod in illis insaniae speciebus, quae ab affe- ctibus tristibus derivari possunt, forsitan fieri potest, experientia quum nos doceat, eorum hominum cutem, qui timori et tristitiae conti- nuae indulgeant, præternaturali modo spis- sari, albescere, saepe horridam et lanosam fieri.

§. 12.

Insania universalis tranquilla.

Hicce vero morbus non semper est idem, interdum eruptionibus furoris est conjunctus

Krankheiten des menschl. Verstandes. Aus dem Franzöf. v. C. Plattner. Lpz. 1786. p. 243.

*) *Lorry* von den Krankheiten der Haut. Vol. II. p. 124. 25.

(*Insania furiosa*); interdum nihil est, nisi tranquillum vel potius innoxium delirium (*Insania tranquilla*). De qua primum agam.

Praeter symptomata ejus universalia, aversionem ab alimentis, et interdum voracitatem, alvi obstructionem, urinae retentionem, statum insomniosum, ventriculi expansionem &c. hicce status morbosus infinitis rationibus se distinguit ab aliis.

Nonnunquam nihil est, nisi stultitiae cuiusdam species hilaris et jocosae; nam aegroti sine causa sunt laeti, cantant, sibilant, saltant, exsultant, rident et ridiculos serunt sermones; simul etiam eo differt hic morbus ab alio, quod facilius medicamentis adhibitis cedit. (*Melancholia moria et saltans Sauvagini*.) In insanorum Leuchtenburgi hospitio vidi quandam mulierculam ante fenestram semper consistentem et cum hac semper sine intermissione loquentem. Saepenumero tales homines totas commemorant historias, quae cohaerentes videntur aliquando, sed plerumque ex errabunda mente criuntur.

Aliis est tanta inquietudo, ut ne momentum quidem uno in loco possint consistere, sed

semper, quo et quare haud gnari, discurrent, quemque fugiant, totas noctes vagentur, nec unquam, quid faciant, quid velint et debeant, gnari, donec denique omnibus amissis viribus languidi collabantur. *Tulpius* ejusmodi hominis narrat exemplum, qui dies et noctes subsultu tam pernici et agitatione tam perenni cursitabat, ut prae defatigatione disflueret undequaque sudore, neque tamen propterea veltantulum quiesceret; homo volaticus et irrequieti huic vitae tam stricte addictus, ut numquam se daret ulli quieti, nisi quam invito extorqueret inevitabilis dormiendi necessitas *). (Melancholia errabunda *Sauvagii.*)

Status autem terribilissimus is est, cum muti, immoti, velut statuae semper in stupore quodam sedent, sine ullo cibo et potu. Quo in casu ne locum quidem mutat aegrotus; si sedet, nunquam resurgit, si stat aut jacet, in hac semper manet positione; non movet se, nisi coactus ab alioquo, nulli respondet quaestioni; velut surdus, in temporis inter-

*) *Tulpii* obs. medic. Lib. I. cap. 16. 17. p. 34,

vallis vigilare tantum videtur; cibum sumit et potum, si ad os ei admovetur; et si morbus in summo violentiae est gradu, tum cibos etiam expuit. Nonnunquam hi miseri sedent lamentantes, alte gementes, sine vera causa; interdum in maximis animi aut corporis tormentis rident vehementer. Facies pallida solet esse, fluxa; maxima in ea tristitiae sunt documenta exarata, oculi languidi, sine splendore ullo, totum in statu flaccitudinis summae est corpus. Revera nullus status potest esse atrocior et tristior, nulla vel cogitari potest humanae infelicitatis imago, et certe scio, qui unquam talia viderit, eum nunquam ea desideraturum.

Saepe haecce insania et hic ultimus praeципue status cum suicidii studio et junctus, cuius causa interdum in ipsius delirii vel causa vel natura est sita, si e. g. a morbo oritur corporis, et, ut videre licet, cum summo angore, pavore, tristitia et metu conjunctum, aut si affectibus deprimentibus excitatum est *). Ex

*) Arnold Observat. on the Nature &c. of insanit. T. I. Leicest. 1782. p. 123. Cullen first lin. &c. T. III. p. 70.

aliis casibus causa nunquam videtur erui posse, quum in corporis quodam sita sit morbo, et cum pavore et angore non ita clare expresso juncta sit, ut ad tales effectus proferendos sufficiens sit visus. Fieri itaque non potest, ut ad factum committendum tam atrox, idoneum momentum in eo reperias. Sunt exempla infellicium talium, in miserabili statu suo in se ipsis ita saevientium, et quoconque mortis genere vitam finire miseram studentium *).

Melancholiam Anglicam hoc referre dubitaverim. Ad suicidium propensitas apud Anglos non tam a morbo corporis derivanda esse videtur, nec a vera conturbatione animi, sed ab aliis potius fontibus duabus: a) *a vero vitae fastidio*. Suicidia plerumque in metropoli aut circa eam fiunt urbem voluptuosissimam, ubi Anglus mature omnibus vitae deliciis sese solet inbuere et voluptatibus; opibus autem dilapsis, omnibus viis ad sese delectan-

*) Alberti Jurisprud. med. T. II. Cus. 13. V. obs. 10. 12. 32. VI. obs. 18. S. B. Müller Entwurf d. gerichtl. Arzneiw. II. §. 81. Buchholz Beitr. zur gerichtl. Arzneiw. II. p. 33.

dum clausis, ademtis, repraesentio ejus, in quam mox eum redigi necesse est, paupertatis et inopis conditionis, coactae abstinentiae futurae, mortem optabilem, vitam reddit detestabilem et suicidiorum est causa; b) *a nimis extensa suae libertatis a prima inde aetate conscientia*, quae prima educatione concepta et in adolescentia liberaliori formata est. Quae quidem libertatis conscientia si certis limitibus continetur, et animus ad majora tendens esse esse deceptum videt, vincula studet frangere injusta. Cel. *Blumenbach* hoc ipsum in causa esse putat suicidiorum ab Helvetiis perfectorum, et praeterea tam multa attulit et egregia, ut mihi satis sit libri locum indicare *). — Certe in aëre etiam Angliae gravis momenti est causa suicidii, quod vere et autumno saepius fit, quam aliis anni temporibus.

Nonnunquam aegroti ad amorem sunt propensi, ut facie venusta valde moveantur; quae tamen ad amorem propensitas cum nulla conjuncta est impudicitia aut lascivia, quae in insania furiosa accidere solet.

*.) *Blumenbach* mediz. Bibliothek, Götting, 1785.
B. II. Et. I. p. 163 — 173.

Sed fieri omnino non potest, ut rerum secundiarum aliquis omnes ostendat diversitates; satis est symptomata nosse praecipua eaque distinguere.

§. 13.

Insania furiosa.

Hocce certe est terribilissimum delirium atque maxime periculosum, summus, quem turbatio mentis ascendere potest, gradus. Omnino ab insania tranquilla furore et saeva agitatione distinguitur. Interdum sequitur genus alterum, sed oritur etiam sine ulla alienatione mentis antecedente. Sed in ambobus istis casibus non continuus est furor, sed temporaneus, aut longius aut brevius durat, et in quietum illud transit delirium. Saepissime autem remissio nimis brevis est, et vix sensibilis, semper certe inquietudine quadam et vehementia est mixta; nonnunquam autem inter exacerbationis tempora remissionum intersunt intervalla plurium dierum, hebdomadum, quin mensium. Saepenumero etiam secundum varia anni tempora commutantur, ita ut mox delirium fiat tranquillum, mox furio-

sum *) *Hallé* exemplum mulierculae prodit memoriae, vere melancholicae, autumno maniacae **).

§. 14.

Prodromi exacerbationis.

Plerumque exacerbatio antecedentibus symptomatibus quibusdam magis aut minus sensibilibus nosci potest. Aegroti inquieti ante essē solent, loquaces, qui alias tranquilli, et rixosi, qui antea quieti; facies et vultus mutantur et sicut tristiores paullum et iracundiores: oculi tumescunt, rubescunt, saevientes agitantur, tremere aegroti incipiunt et fortiter se movere. Nonnunquam et subito furor cum omni sua violentia uno eodemque tempore erumpit.

*) Cf. Helvet. Musaeum der Heilk. III. p. 3. Medices Geschichte period. Krankh. I. Cap. 1. §. 8. Götting. gel. Anz. 1803. St. 63.

**) Histoires et memoires de la soc. roy. de Med. Vol. VIII. Hufeland's Annalen der franzöf. Arzneif. B. II. p. 23.

Stadium exacerbationis.

Quae symptomata, si aliquamdiu dura-
verunt, tum furor violentissime erumpit; cor-
pus externum omnino mutatum esse videtur,
vultus, motus actiones vehementiores fiunt et
magis spastici. Palpebrae continuo vehemen-
tissime incipiunt trepidare (signum hujus morbi
characteristicum); tota facies rubescit, tu-
mescit; oculi prominent, subrubidi, ignei,
fulminantes; omnis conspectus turbatus est,
horridus, vultus iracundi, saevi; respiratio
vehemens et forma universa horribilis.

Eruptiones furoris nonnunquam sunt hor-
rendae. Saepe in se ipsi saeviunt *); tum
vestes dilacerant, et nudo capite parietes per-
tundere, aut mensas, aut terram, vitamque sibi
eripere student. Plerumque in alios furunt,
tumque omnes et familiarissimos invadunt et

* Cf. Hoffbauer über den Wahnsinn sc. p. 360.
Ej. die Psychologie in ihren Anwendungen auf die
Rechtspflege. p. 168 — 174. Montaigne Essays.
L. II. N. XXIX. Schenk 1. c. I. p. 132. Ar-
nold über den Wahnsinn. p. 199.

proximos; quodcumque arripere possunt instrumentum, eo adversus amicos circumstantes utuntur *); quid? sellas, mensas, quin immo catenas frangunt, et omnia, quae possunt, dilacerant. Nonnunquam inter furorem sunt velut muti, saepius tamen saeva voce vociferantur, vultibus distortis, ita, ut in omni circumregione audiantur; manibus et pedibus tremunt, interdum risus edunt resonantes, et sermonibus conviciantibus, exsecrantibus utuntur et indecentissimis, et eodem hoc saepe tempore. Lingua, dentes, guttus, plerumque pituita sunt illinita, et alba prominet ex ipso ore spuma, a furore continuo procreata. Furor semper videtur crescere, quanto plura inveniunt obstacula et quanto magis aegroti incitantur. Vires eorum sunt ingentes, quin asseverare possumus, decuplum illas aequare, virium hominis ejusdem sani. A pluribus viris fortibus satis contineri nequeunt, res firmas vel catenas frangunt, quasi vitrum. Quod quidem idem est in pueris sive

* Cujus plurima exempla ad fert Schenk L. c. Lib. I.
p. 124.

aliis subjectis debilibus et teneris. *Gredingius* exemplum assert pueri nati insani, ita fortis jam in tenerima aetate, ut a fortissimis vix contineretur viris *).

Nonnunquam hi insani lasciviam ostendunt foedissimam cum maximo pudoris defectu conjunctam. Quae quidem potissimum in feminis furentibus invenitur, quae ita ardent saepe cupiditate veneris, ut multis praesentibus genitalia manibus perfodant, adspectu viri cuiusdam in summam vertantur furorem, viros arripiant, et ad extinguendam ipsarum flammarum cogere velint, quin manustuprations etiam exerceant **). Plerumque utriusque generis aegroti manibus sedem mali contingunt, in masculis testiculi sunt extracti et magis aut minus tumidi ***).

§. 16.

Stadium remissionis

Nunc si nimia corporis intentio per tempus aliquod, non idem semper in omnibus

*) Greding vernischte mediz. Schr. p. 32.

**) J. B. Müller Entwurf der gerichtl. Arzneiw. II. p. 154 — 173.

***) Auenbrugger de mania yironum et. p. 70.

aegrotis duraverit, tum haecce intentio vehementer motibus convulsivis plerumque intermixtis *), in statum transit universalem flaccidam lassitudinis, in stuporem et languorem. Hac remissione aliquantum durante, tum plerumque obdormiscunt aegroti, ex quo statu mox expergesfacti saepe furere rursus incipiunt, diutius tamen plerumque dormiunt. Postea tranquilli sedent, obtutu in uno loco defixo, nullum autem revertentes edunt rationis signum.

§. 17.

Signa post mortem.

Quanquam parum lucis sectiones cadaverum insanorum plerumque adferunt, quum saepe nihil prorsus naturae repugnans detegant, nihil certe repugnans, ut pro morbi causa possit haberi; porro, quanquam parum est tutum, ex inventis ad causam morbi concludere, quum effectum pro causa et causam pro effectu facile habere possimus: tamen

*) *Ad. Nietzky Elem. patholog. universal Halae 1766. p. 416.*

sectiones maximi momenti, necesse est, esse.
 Rei ipsa obscuritas in causa est, cur in alio
 morbo nullo disquisitiones illae anatomico-pa-
 thologicae tam parum lucis habeant. Omnes
 fere autores, nisi forsan excipias *Gredingium*,
 plurima gravissima phaenomena praetervola-
 bant, et inconsiderate falseque concludebant.
 Ceterum *Morgagnius*, *Bonetius*, *Meckelius*,
 nec non *Hallerus*, *Wepferus* et *Willisius* *)
 sunt nomina, quibus maximas pro hisce rebus
 observatis et consideratis debemus grates, et
 quae ab iis sunt enucleata et detecta, brevis-
 simis hic adscribere in animo est.

1. *De Cranio.*

Caput plerumque forma naturali solebat
 esse, nonnunquam tamen nimis parvum, rarissi-
 sime autem nimis magnum inveniebatur. Ple-
 risque cranium crassius erat et fortissimum,

*) *I. B. Morgagni* de sedib. et caus. morbor.
 Epist. VIII — XI. *T. Boneti* sepulchretum
 &c. Genev. 1700. *Halleri* Elem. Physiol.
 Vol. VIII. *Wepfer* de affectib. capitis &c.
Meckel vermischte mediz. Schriften II. B. II.

nonnullis tenuius et marcidum. Cranii forma plerumque erat naturalis, interdum et frons erat angusta, tempora compressa, et occiput permagnum et spatiosum; in nonnullis longius erat aut rotundum, aut quadratum, aut parte anteriori latum et posteriori acuminatum; in nonnullis caeruleo colore virgatum erat; in quodam insano os frontis velut in infante sutura frontali erat partitum, in aliis ne ulla quidem suturarum erant vestigia. Sub craniis apertis foramina majora aut minora multa reperiebantur, interdum crassiores latioresque erant annuli ossei in superficie interna crani ab osse petroso usque ad processum cruciformem in os occipitis linea horizontali sese extendentibus; in multis cranium cum dura matre insolito more cohaerebat; quae quidem aliquando ita cum osse frontis coaluit spatio satis magno, ut ossificationis speciem prae se ferret.

2. *De dura matre.*

In nonnullis inter duram matrem et ipsum os aqua est inventa, nec in quibusdam contemnenda ejus copia; plures autem erant, quibus inter piam matrem et duram erat aqua, aut

rubicunda aut lutea, aut colore croceo; quae et eodem tinxerat colore duram matrem. In sinu longitudinali veri aliquoties reperti sunt polypi, et nonnullis in locis dura mater perforata ostendit corpora spongiosa piae matris et ipsius cerebri.

3. De pia matre.

In plerisque pia mater crassa, pituitosa, caerulea, albis mollibusque corporibus spongiosis hemisphaeroidibus consita, magna que cum ossificationum copia est reperta. Vasa cerebri plerumque a sanguine vacua, nonnunquam nigro sanguine gravida et expansa; inter piam matrem autem et cerebrum interdum magna copia inventa est aquae bullis impletæ, rubicundæ, subluteæ, quæ in tanta ibi aderat copia, ut pia mater paullatim flaccesceret, et facillime a conjunctione cum cerebro divelli posset.

4. De cerebro et cerebello.

Substantia corticalis cerebri aut clara aqua et limpida, aut lutea, sanguinosa et coagulata erat cooperta, nec non cum petrificatio-

nibus et ossificationibus est inventa. In quibus cerebrum, simulac aperiebatur, odorem excitavit foedissimum, quanquam alias esset perfectum; plerumque mollius erat solito, et fluens, interdum bene adhuc constituit. Ventriculi cerebri laterales plerumque erant latissimi, amplissimi, nonnunquam justo minores et ita ut alter inferior positus esset altero; interdum humiditate erant graves, tum prorsus vacui, tum saepe magnis hydatidibus pleni. Tertius cerebri ventriculus in quibusdam magnus, in aliis parvus, tum prorsus, tum partim aqua erat repletus, tum prorsus ab hac humiditate vacuus reperiebatur. Glans pinealis in plurimis prorsus aqua mersa est inventa, plerumque recte formata, saepe major, raro justo minor, in nonnullis firmior, in aliis paucioribus tamen mollior, et aquosa, cordiformis, aut cylindrica, aut obacuta. In aliquo infundibulum versus glandulam pituitariam membrana forti erat clausum; quae omnia eadem in cerebello sunt reperta. Saepenumero etiam vermes in cerebro sunt inventi.

5. *De Thorace et ejus cavo.*

Membrana adiposa et musculi interdum

erant aquosi, decolores et paene semiputridi,
 costae plus aut minus mollitae; pulmones
 semper fere in aliquo loco cum pleura con-
 creti. In quibusdam una vel altera vel ultra-
 que pectoris cavitas aquae magna copia re-
 pleta est inventa, quae odorem foedum exci-
 tabat; in muliercula quadam insana in sini-
 stro cavo pectoris materia quaedam purulenta
 detecta est, et apud aliam mediastinum et
 pleura lutea aliqua purulenta et spongiosa
 materia erat reperta. Pulmones scirrhosi sac-
 penumero sunt inventi, scirrhosi et ulcerosi,
 cum spumoso sanguine aut nigro aut sordido,
 vel etiam aquoso; saepe minores solito, co-
 lore carnis, aut violacei. Pericardium non-
 nunquam aquam continebat coloratam, cum
 corde ipso saepe concretum, et humor ejus
 prorsus nonnunquam exsiccatus erat; inter-
 dum cum pulmonibus pleura vel ipsae costae
 erant concretae. Cor multis in cadaveribus
 prorsus exsiccatum erat et corrugatum, et
 piro assato non dissimilis, et sanguis in eo
 nonnunquam ita siccus et coagulatus, ut facile
 secari cor nequiret. In dextro aut sinistro
 ventriculo cordis materia quaedam est reperta

coagulata; non raro cavitates pituitam continebant, saepe et sanguinem tenuem, et rubicundum. In arteria aorta magnum aliquando erat aneurisma.

6. *De cavo abdominis.*

Splen aliquoties justo major, aliquoties erat minor, interdum prorsus aberat. Superficies aut pallida erat, aut plumbicolor aut nigra, tum durior, tum mollis. Ex interno pus profluebat putridum, dissolutum. In superficie convexa venae erant extensae et expansae. Saepe et prorsus sanus.


Hepar aut solito majus erat aut minus, candicante e rubro aut luteo aut nigro etiam colore; pallidum aut plumbicolor, aut prorsus scirrhosum et oedematosum, aut rimosum et parte conversa pusticulosum.

Omentum quibusdam in casibus haud naturali ratione erat compertum, crassius, ulcerosum; eximiae crassitudinis et magnitudinis; tum rubrum aut pallidum, tum nigrum, laceratum, putridum.


Vasa mesenterii nigro sanguine et putrido erant expansa, vasa ventriculi et omenti

extensa; intestina aëre erant repleta et distenta.

Ventriculus etiam aëre fixo erat expansus, quibusdam in locis pallidus, parietes chartae instar, et materia quadam nigra obvolutae; pancreas dura, nigra, justo major. Renes magni, duri, gangraenosi, et calculis reperiebantur impleti.







Qui quidem magnus ad aëris temperaturam torpor in iis etiam animadvertisit subjectis, qui alias debiliores sunt et antea vitam culsumque molliorem habuerunt.

Eandem sensus inopiam ad verbera vigiliū haud raro ostendunt, quare medicina plaga-
gosa, etiam si adest indicatio, in his quam plurimum est sine effectu. *Lorry* hanc sensus inopiam ex cute, humoribus melancholi-
cīs et atrabiliaribus spissata, derivare studet*); quod in illis insaniae speciebus, quae ab affe-
ctibus tristibus derivari possunt, forsitan fieri potest, experientia quum nos doceat, eorum hominum cutem, qui timori et tristitiae continuae indulgeant, praeternaturali modo spissari, albescere, saepe horridam et lanosam fieri.

§. 12.

Insania universalis tranquilla.

Hicce vero morbus non semper est idem, interdum eruptionibus furoris est conjunctus

Krankheiten des menschl. Verstandes. Aus dem Franzöf. v. C. Plattner. Lpz. 1786. p. 243.

*) *Lorry* von den Krankheiten der Haut. Vol. II.
p. 124. 25.

